



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 17. Galliarum regina in oppido S. Dionysii coronata, ac Parisios  
solemniter ingressa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

**Secul. XV.**  
A.C. 1492.

tis testatam facere compellebantur, eis-  
que damnorum compensatio spondeba-  
tur. Tandem ad conservanda Provinciae  
Ordinum jura, atque privilegia Carolus  
specialia cum eis pacta erexit, quibus  
utrinque acceptatis, Anna Britanniae  
Ducissa ad castrum de Langesis deduci-  
tur, ubi mense Decembri anno salutis  
millesimo quadringentesimo nonagesimo  
primo Gallorum Regi nupsit; Regios ve-  
ro Sponsos Albiensis Episcopus solemini,  
eaque publica precatione in castri facello  
conjunxit, Re comperta totum regnum  
in laetitiam insolitam effundebatur, cun-  
ctisque in urbibus festivae communis gau-  
dii voces resonabant.

### §. XVII.

**Galliarum Regina in oppido S. Dio-**  
**nysii coronata, ac Parisios sole-  
niter ingressa.**

**S. Gelasius** His fauste peractis Aula regia Lange-  
**hist. de Louis** siis Turonium, inde ad oppidum S.  
**XII.** Dionysii delata est, moram ibidem tra-  
hens, usque dum solemnis novae Reginæ  
coronatio fieret, quæ etiam ineunte Fe-  
bruario anni millesimi quadringentesimi  
nonagesimi secundi pompa vere regali ce-  
lebrata fuit, populo laetanter acclaman-  
te. Demum Lutetiam Parisiorum delata,  
die nona ejusdem mensis solemnii pompa  
urbem

urbem ingressa est. Certabant omnes, Sæcul. XV.  
ut variis oblectamentis mærorem animi, A.C. 1492.  
quem primo novella Sponsa præsefere-  
bat, dissiparent, ipse Rex eam tot amo-  
ris, ac reverentia significationibus cu-  
mulabat, ut priorem mæstitiæ squalo-  
rem plena solatii serenitas expellere vide-  
retur.

§. XVIII.

*Dunensis Comitis obitus.*

Verum publica totius aulæ gaudia con-  
taminabat infaustum Dunensis Co-  
mitis fatum, qui maturus præmio, quod  
eius obsequia novellæ Reginæ, totique  
Regno præstata exposcebant, mortis in-  
vidia ereptus est: cum enim equo vectus,  
purioris auræ gratia rus concederet, apo-  
plexia tactus subito corruit. Hic anno  
Dominii millesimo quadringentesimo se-  
xagesimo sexto uxorem duxit Agnetem  
Ludovici Sabaudiæ Ducis Filiam natu-  
minorem, ex qua plures proles suscepit,  
atque inter ceteras Franciscum II. Du-  
nensem Comitem, in cuius favorem Lon-  
guevillanus Comitatus Anno millesimo  
quingentesimo quinto Ducatus honore  
auctus est.

Gg 2      §. XIX.